OFFICIVM S. CAIETANI CONFESSORIS CLERICORVM REGVLARIVM FVNDATORIS.

Sub Ritu Duplici Primæ Claſsis cum Octaua.

Pro ijſdem Clericis Regularibus.

A Sac. Rit. Congreg. recognitum, & approbatum.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMÆ,

Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. M.DC.LXXIV.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

D. F.s Ant.s Bald.i C.s Reg.is

VI. Auguſti.

Veſp. de S. Caietano P. N. Dupl. Primæ Claſſis. Antiphona Pſalmi, & Hymnus de Com. Confeſſ. non Pontif.

Antiph. ad Magnificat in vtriſque Veſperis.

Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Oratio

DEVS, qui Beato Caietano Confeſſori tuo Patri Noſtro Apoſtolicam viuendi formam imitari tribuiſti, da nobis eius interceſſione, & exemplo in te ſemper confidere & ſola Cæleſtia deſiderare. Per Dominum noſtrum, &c.

De Träsfigurat. Dom. & de S. Donato nihil.

VII. Auguſti.

Ad Matutinum.

Omnia de Com. Confeſs. non Pontif. præter ea, quæ hic habentur propria.

IN I. NOCTVRNO.

Lectio j.

De libro Eccleſiaſtici. c.31.

BEatus vir, qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt: nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus: facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. ℟. Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: * Intra in gaudium Domini tui, ℣. Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuper lucratus ſum. Intra in gaudium, &c.

Lectio ij. c.32. & 33.

QVi timet Dominum, excipiet doctrinam eius: & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea: Et qui inſidioſè agit, ſcandalizabitur in ea. Qui timent Dominum inuenient iudicium iuſtum, & iuſtitias quaſi lumen accendent. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illũ conſeruabit, & liberabit á malis. Sapiens non odit mandata, & iuſtitias, & non illidetur quaſi in procella nauis. Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex il-

illi fidelis. ℟. Iuſtus germinabit ſicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum.
℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit &c.

Lectio iij. *c.34.b.*

SPiritus timentium Deum quæritur, & in reſpectu illius benedicetur: ſpes enim illorum in ſaluantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius. Timentis Dominum beata eſt anima eius. Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo eius? Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. ℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum: * Et inuentus eſt in numero ſanctorũ. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Et inuentus eſt, &c. Gloria Patri, &c. Et inuentus eſt, &c.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

CAietanus nobili Thienæa gente Vicentiæ ortus, ſtatim à Matre Deiparæ Virgini oblatus eſt. Mira à teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeò vt Sanctus ab omnibus nũcuparetur. Iuris vtriuſque Lauream Patauij adeptus, Romam profectus eſt; vbi inter Prælatos à Iulio II. collocatus, & Sacerdotio initiatus; tanto Diuini Amoris æſtu ſuccenſus eſt, vt relicta Aula ſe totum Deo mancipauerit. Noxocomijs proprio ære fundatis; etiam morbo peſtilenti laborantibus, ſuis ipſe manibus inſeruiebat. Proximorum ſaluti aſſidua cura incũbebat, dictus propterea Venator Animarum. ℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnũ Dei. Et dedit illi, &c.

Lectio v.

COllapſam Eccleſiaſticorum diſciplinam ad formam Apoſtolicæ vitæ inſtaurare deſiderans; Ordinem Clericorum Regularium inſtituit, qui abdicata rerum omnium terrenarum ſolicitudine; nec redditus poſſiderent, nec vitæ ſubſidia à Fidelibus peterent, ſed ſolis eleemoſynis ſponte oblatis viuerent. Itaq; approbante Clemente VII. ad Aram maximam Baſilicæ Vaticanæ vnà cum Ioanne Petro Carafa Epiſcopo Theatino, qui poſteà Paulus IV. Pontifex Maximus fuit, & alijs duobus eximiæ pietatis Viris, vota ſolennia emiſit. In Vrbis direptione à militibus crudeliſſimè vexatus, vt pecuniam proderet, quam dudùm in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerant;

uerān ; verbera, tormenta, & carceres inuicta patientia ſuſtinuit. In ſuſcepto vitæ inſtituto conſtantiſſimè perſeuerauit, ſoli Diuinæ prouidentiæ inhærens, quam ſibi nunquam defuiſſe, aliquando miracula comprobarunt. ℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricā fidei, & ornauit eum. Et ad portas, &c. Lectio vj.

DIuini cultus ſtudium, Nitorem Domus Dei, Sacrorum Rituum obſeruantiam, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ frequentiorē vſum maximè promouit. Hæreſum Monſtra, & latebras non ſemel detexit, ac profligauit. Orationē ad octo paſſim horas iugibus lachrymis protrahebat; ſępè in extaſim raptus, ac prophetiæ dono illuſtris. Romæ nocte natalitia ad Præſepe Domini Infantem Ieſum accipere meruit à Deipara in vlnas ſuas. Corpus intégras noctes interdum verberationibus affligebat; nec vnquam adduci potuit, vt vitæ aſperitatem emolliret: teſtatus in cinere, & cilicio velle ſe mori. Denique ex animi dolore concepto morbo; quod offendi Plebis ſeditione Deum videret, cæleſti viſione recreatus, Neapoli migrauit in Cœlum: ibique Corpus eius in Eccleſia Sancti Pauli magna Religione colitur. Quem multis miraculis in vita, & poſt mortem glorioſum Clemens X. Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit. ℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Quia te vidi, &c. Gloria Patri, &c. Quia te vidi, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sācti Euangelij ſecundū Matthæum. c.6.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi lib. 2. de ſer. Dñi in mōte. c. 14.

NEmo poteſt duobus Dominis ſeruire. Ad hanc ipſam intentionem referendum eſt, quod conſequenter exponit, dicens: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut alterum patietur, & alterum contemnet. Quæ verba diligentèr conſideranda ſunt: nam, qui ſint duo domini, deinceps oſtendit, cum dicit: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Mammona apud Hebræos diuitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen: Nam lucrum Punicè mammon dicitur. ℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo laudauit Dominum: * Ipſe intercedat pro peccatis om

nium

nium populorum. ℣. Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat, &c.

Lectio viij.

SEd qui ſeruit Mammonæ, illi vtique ſeruit, qui rebus iſtis terrenis merito ſuæ peruerſitatis præpoſitus, magiſtratus huius ſæculi à Domino dicitur. Aut enim vnum odio habebit homo, & alterum diliget, ideſt Deum: aut alterum patietur, & alterum cōtemnet. Patietur enim durum, & pernicioſum dominū quiſquis ſeruit Mammonæ: ſua enim cupiditate implicatus ſubditur Diabolo, & non eum diligit. Quis enim eſt, qui diligat diabolum? Sed tamen patitur. ℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominū ſuum, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Vigilate ergo: quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos, &c. Gloria Patri. Et vos, &c.

Lectio ix.

IDeò, inquit, dico vobis, non habere ſolicitudinē animæ veſtræ quid edatis, neque corpori veſtro quid induatis: ne fortè, quamuis iam ſuperflua non quærantur, propter ipſa neceſſaria cor duplicetur; & ad ipſa conquirenda, noſtra detorqueatur intentio, cum aliquid quaſi miſericorditer operamur: ideſt, vt cum conſulere alicui videri volumus; noſtrum emolumentum ibi potius quam illius vtilitatem attendamus. Et ideò nobis non videamur peccare, quia non ſuperflua, ſed neceſſaria ſunt, quæ conſequi volumus. Te Deum laudamus, &c.

IN LAVDIBVS.

Ad Benedictus, Antiphona. Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim Pater veſter, quid vobis neceſſe ſit.

Oratio vt ſupra.

IN II. VESPERIS.

Commemoratio SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi Martyrum.

VIII. Auguſti.

SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi m.m. cum Com. Oct. S.P.N. Caietani in Laudibus.

In ſecund. Veſp. à Capit. de Octaua. Comm. SS. MM. & S.Rom. Mart.

IX. Auguſti.

Tertia die infra Octauam.

De Octaua S.P.N. Caietani.

Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

De ſerm. S. Ioannis Chryſoſt. De S. Philogon. tom. 3.

AD hanc beatam requiem tranſijt B. Caietanus; quænam igitur oratio par ſit viri laudibus, quem Deus tam felici ſorte dignatus eſt? Non eſt vlla: ſed agè, dic mihi, numidcircò ſilebimus? Et cujus rei gratia conuenimus? An dicemus nos haud poſſe magnitudinem geſtorum oratione conſequi?

ſequi? Atqui ob hoc ipſum neceſſe eſt dicere, quandoquidem hæc eſt præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non poſſint. Nam, quorum benè facta naturam etiam ſuperant mortalem, perſpicuum eſt, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aſpernabitur officium noſtrũ, quod pro viribus præſtamus, ſed ſuũ imitabitur Dominum. Siquidem & illi viduæ duos tantùm obolos deijcienti in gazophilacium, non tantùm duorum obolorum mercedem reddidit. ℟. Honeſtum, &c.

Lectio v.

PRoindè, quamuis noſtræ facultates exiguæ ſint, minimique pretij, attamen, quæ poſſumus offerimus. Ea licet non reſpondeant magnitudini meritorum animæ præclari, iuſtique Caietani; tamen hoc ipſum celſitudinis illius maximũ fuerit argumentum, quòd nec puſilla repellat, ſed idem faciet, quod ſolent diuites: ſi quidem illi cum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, ſua vicíſsim apponunt; remunerãtes eos, qui, quod poterant, obtulerint. Itidem, & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipſa facta, benedictionem, qua ſemper vti poſſimus. ℟. Amauit, &c.

Lectio vj.

VNdé igitur laudationem illius auſpicabimur? An à magiſtratu, quem ſpiritus illi tradidit gratia? nam mundani magiſtratus nequaquam poſſunt Chriſtianorum demonſtrare virtutes; quin potius frequenter habent accuſationem malitiæ, quam ob cauſam? quoniam & ſolicitudines amicorum, & circumcurſationes, & adulationes, aliaque permulta his fœdiora tales magiſtratus ſolent conciliare. Ceterum, vbi Deus ſuo ſuffragio deſignarit aliquem, incorruptum ſuffragium, alienum ab omni ſuſpicione iudicium, indubitata fuerit delecti cõprobatio, propter eius; qui delegit auctoritatem. ℟. Iſte homo, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij ſecundùm Matthæum. *c. 3.*

Lectio vij.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: & reliqua.

De Homilia S. Auguſt. Epiſc.

De Ser. Dom. in monte c. 15.

DOminus autem admonet, vt meminerimus, multò amplius nobis Deum dediſſe, quando nos fecit, & compoſuit ex anima, & corpore, quã eſt alimentum, atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. Nonne, inquit, anima plus eſt quam eſca? Vt tu intelligas eum, qui dedit animam, multò facilius eſcam eſſe daturum: Et corpus quam veſtimentum: id eſt, plus eſt: vt ſimiliter intelligas, eum qui cor-

corpus dedit, multò facilius daturum eſſe veſtimentum.
℟. Iſte eſt, &c.

Lectio viii.

QVo loco quæri ſolet, vtrũ & ad animam cibus iſte pertineat, cum anima incorporea ſit, iſte autem cibus corporeus? ſed animam hoc loco pro iſta vita poſitam nouerimus, cuius retinaculum eſt alimentum iſtud corporeum: ſecundum hanc ſignificationem dictum eſt etiam illud. Qui amat animam ſuam perdet illam. Quod niſi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuiſſe Martyres, claruit, contrarium hoc præceptum erit illi ſententiæ, qua dictum eſt, quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum faciat?
℟. Sint lumbi veſtri præcincti, &c.

Lectio ix.

Pro Vigilia S. Laurentij.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. *cap. 16. d.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papę.
Hom. 32. in Euang.

QVia Dominus, ac Redemptor noſter nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vitæ etenim noſtræ veteri in vitijs enutritæ contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, niſi ſua retinere, aliena rapere ſi poſſet; concupiſcere ſi non poſſet? Sed cœleſtis medicus ſingulis quibuſque vitijs obuiãtia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis pręciperet humilitatem. Te Deum laudamus.

IN LAVDIBVS.

Fit Com. Vigil. & S. Rom. m. Miſſa dicitur de Vig. cũ Com. Octauæ, & eiuſdem S. Rom. m.

VESPERÆ.

Dicuntur de S. Laurentio m. abſque vlla Commem.

X. Auguſti.

Fit de S. Laurentio abſque vlla Comm. in Laudib. & Miſſa.

IN II. VESPERIS.

Fit Comm. Octauæ, & SS. Tiburtij, & Suſannæ m. m.

XI. Auguſti.

Quinta die infra Oct. S. P. N. Caietani.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex lib. Moralium S. Greg. Papę.
Lib. 10. c. 16. in c. 12. Iob.

DEridetur iuſti ſimplicitas. Huius mundi ſapientia eſt,

eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur; hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt, ceteros deſpiciẽdo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubiecti, & timidi in alijs mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas vrbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit, honorum culmina quærere, adepta temporalis glorię vanitatę gaudere, irrogata ab alijs mala multipliciùs reddere: cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare.

℟. Honeſtum, &c.

Lectio v.

AT contra, ſapientia iuſtorum eſt, nil per oſtenſionẽ fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare; bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere; nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam, lucrum putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab huius mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio ſtultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuũ ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo, quam mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?

℟. Amauit, &c.

Lectio vj. *c.17. poſt init.*

LAmpas contempta apud cogitationes diuitum. Sæpe contingit, vt electus quiſque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hîc aduerſitate deprimatur: non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilẽ oſtendat, nulla ei obſequentium frequentia ſuppetat, nulla hunc humanis oculis veſtium pompa componat: à cunctis verò deſpicabilis cernitur, & huius mundi gratia indignus æſtimatur: ſed tamen ante occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruſcat; honorari metuit, deſpici non refugit: corpus continentia afficit, ſola in animo dilectione pinguefcit: mentem ſemper ad patientiam præparat, & erectus pro iuſtitia, de perceptis contumelijs exultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum proſperitatibus, quaſi de proprijs lætatur, ſacri verbi pabula in mente ſolicitus ruminat, & inquiſitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat.

℟. Iſte homo, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. c.6.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliqua.

De Homilia S. Auguſtini Epiſc.

De ſerm. Dom. in mõte c. 15.

REſpicite, inquit, volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque cõgregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos pluris eſtis illis: id eſt, carius vos valetis? quia vtique rationale animal, ſicuti eſt homo, ſublimius ordinatum eſt in rerum natura, quam irrationabilia ſicut ſunt aues. Quis autem veſtrum curans, inquit, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuã cubitum vnum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Id eſt, cuius poteſtate, atque dominatu factum eſt, vt ad hanc ſtaturam corpus veſtrum perduceretur, eius prouidentia etiam veſtiri poteſt.

℟. Iſte eſt, &c.

Lectio viij.

NOn autem veſtra cura factum eſse, vt ad hanc ſtaturam veniret corpus veſtrum, ex hoc intelligi poteſt, quod ſi curetis, & velitis adijcere vnum cubitum huic ſtaturæ, non poteſtis. Illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cuius videtis cura factum eſſe, vt tantæ ſtaturæ corpus habeatis. Dandum autem erat etiam documentum propter veſtimentum, ſicut datum eſt propter alimentum.

℟. Sint lumbi veſtri, &c.

Lectio ix.

Pro SS. MM. Tiburtio, & Suſanna.

TIburtius Chromatij Præfecti Vrbis filius, Sancti Sebaſtiani opera Chriſtianus, cum ob eam cauſam ad Fabianum Iudicem adductus eſſet, multaque apud illum de Chriſti fide prędicaret, excandeſcens Iudex pauimentum candentibus carbonibus ſterni iubet: Mox Tiburti, inquit, vel dijs noſtris ſacrifices oportet, vel per iſtos carbones nudis pedibus tibi incedendum eſt. At ille Crucis ſigno ſe muniens, fidenterque ambulans in pruna, Diſce, inquit, ex hoc ſolum eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt, prunæ enim mihi flores videntur. Quod cum magicis artibus tribueretur, extra Vrbem ductus Tiburtius, ac via Lauicana tertio ab Vrbe lapide gladio percuſsus, ibi à Chriſtianis ſepelitur. Quo die Suſanna virgo nobiliſſima, quòd Galerij Maximiani, filij Diocletiani Imperatoris, coniugium recuſaret, vt quæ virginitatem Deo vouerat; poſt multa tormentorum genera, quibus variè tentatum eſt ſanctum virginis propoſitum, domi ſuæ iuſſu Imperatoris gladio percuſſa, ad duplex virginitatis, & martyrij præmium migrauit in cœlum.

IN

IN LAVDIBVS, ET MISSA.
Fit commem. Oct. S. Laur. m. & SS. MM. Tiburtij, &c.

IN II. VESPERIS.
Fit de Sancta Clara, duplex. cum commemorat. Octauar. S. P. N. Caietani, & S. Laurentij m.

XII. Auguſti.
Fit de Sancta Clara, duplex, cum commem. in Laudib. Miſſa, & ſecundis Veſperis, Octauarum S. P. N. Caietani, & S. Laurentij.

XIII. Auguſti.
Septima die infra Oct. S. P. N. Caietani.
Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.
Lectio iv.
Sermo S. Bernardi Abbatis.
Serm. 1. de S. Victore.

SAncti Caietani vita, & gloria ſpecialis, non tam ad gloriam, quàm ad virtutē prouocat omnes, qui recto ſunt corde. Non recti planè, ſed peruerſi eſt animi, ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certauerit. Vanum eſt vobis, inquit, ante lucem ſurgere. Ita eſt: fruſtra ad celſitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute: fruſtra fatuæ Virgines ſponſo obuiam ſurgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideò fatuę, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.
℟. Honeſtum, &c.

Lectio v.
VIrtus gradus ad gloriam; Virtus mater gloriæ eſt. Fallax gloria, & vana eſt pulchritudo, quam illa non parturiuit. Sola eſt, cui gloria iure debetur, & ſecurè impenditur. Sancto Caietano nec virtus, nec gloria deeſt: ſed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homine proceſſerunt, id operæ pretium intueri. Habemus enim dilectiſſimi in vita Caietani & quod dignè miremur, & quod ſalubriter imitemur. Tutiùs ſanè æmulanda ſolidiora, quam ſublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus ſimilari, & ſi volumus, non valemus.
℟. Amauit, &c.

Lectio vj.
AEmulemur in viro ſobriū victum, deuotum affectū, æmulemur manſuetudinē ſpiritus, caſtimoniam corporis, oris cuſtodiam, animi puritatem, ponere frænum iræ, & modum linguæ, dormire parciùs, orare frequentiùs, commonere nos metipſos, hymnis, & canticis ſpiritualibus, diebus iungere noctes, & diuinis laudibus occupari. Æmulemur chariſmata meliora; æmulemur, inquam, quod extitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim meliùs. In his forma eſt, cui imprimamur, in miraculis gloria, à qua reprimamur; illa læ-

 tiſi-

tificent, iſta ædificent: moueant illa, iſta promoueant.
℟. Iſte homo, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. c. 6.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliqua:

De Homilia S. Auguſtini Epiſc. de Serm. Dom. in monte. c. 15.

ITaque ſequitur, & dicit: conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, nõ laborãt, neque nent: & reliqua vſq; quãto magis vos modicæ fidei? ſed iſta documenta non ſic allegoricè diſcutienda ſunt; vt quæramus quid ſignificent aues cęli, aut lilia agri. Poſita ſunt enim, vt de rebus minoribus, maiora perſuaderentur: ſicuti illud eſt de Iudice, qui nec Deũ timebat, nec hominem reuerebatur: & tamen ſæpè interpellanti viduæ ceſſit, vt eius cauſam conſideraret: non propter pietatem, aut humanitatem, ſed ne tædium pateretur. Non enim vllo modo ille iniuſtus Iudex, perſonam Domini allegoricè ſuſtinet; ſed tamen quantum Deus, qui bonus eſt, & iuſtus curet deprecantes ſe, hinc conijci Dominus voluit: quia nec iniuſtus homo eos, qui illum aſſiduis precibus tundunt, vel propter tædium deuitandum, poteſt contineret.
℟. Iſte eſt, &c.

Lectio viij. c. 16.

NOlite ergo, inquit, ſolliciti eſſe, dicentes: quid edemus, aut quid bibemus? & reliqua. Hic manifeſtiſſimè oſtendit, non hæc eſſe appetenda, tanquam talia bona noſtra, vt propter ea ipſa debeamus benè facere, ſi quid facimus, ſed tamen eſſe neceſſaria. Quid enim interſit inter bonũ quod appetendum eſt. & neceſſariũ quod ſumendum eſt, hac ſententia declarauit, cum ait quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.
℟. Sint lumbi veſtri, &c.

Lectio ix.

Pro SS. MM. Hippolyto, & Caſſiano.

HIppolytus à Sancto Laurentio baptizatus, domi ſuæ, dum Euchariſtiam ſumeret, comprehenſus, & ad Valerianum Imperatorem adductus, ab eo de ſuæ religionis profeſſione interrogatus, liberè ſe Chriſtianum profeſſus eſt. Quã ob rem fuſtibus cæditur: quibus in verberibus cum eius fides conſtantior inueniretur, muneribus, & bonis promiſsis tentatur. Quæ cum omnia fruſtra dicerentur, Præfecto occidendus traditur. Qui domum Hippolyti veniens, vt eius facultates publicaret, totam familiam Chriſtianã eſſe cognoſcit: atque ijs à Chriſtiana fide fruſtra deterritis, primùm plumbatis cæſa Cõcordia Hippolyti nutrice, quæ ceteros

confir-

confirmabat, reliquos extra portam Tiburtinam occidi iubet. Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis, & carduis conſita, lacerato corpore ſpiritum Deo reddidit, vnàque cum reliquis à Iuſtino Præsbytero ad agrum Veranũ ſepultus eſt. Eadem die ad forum Syllæ crudeliſsimo ſupplicio affectus eſt Caſsianus martyr: qui vinctis poſt terga manibus, puerorum quos erudiebat, ferreis ſtylis configendus, excarnificanduſque traditur. Quorum quantò erat infirmior vis, tanto eius pœna martyrij grauior ac diuturnior, palmaque illuſtrior.

Te Deum laudamus, &c.

In Laudibus, & Miſsa Commem. oct. S. Laurẽtij, & SS. mm. Hippolyti, &c. Veſperæ de die Octaua S. P. N. Caietani. Duplex. Comm. oct. Sancti Laurentij mart. & Sancti Euſebij Confeſs.

XIV. Auguſti.

Octaua S. P. N. Caietani.

Duplex.

Lectiones Primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

De ſermone Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo ſecundus de S. Victore.

GAudete in Domino, dilectiſsimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia, indulſit hominem mundo, cuius multi ſaluarentur exemplo. Iterum, dico, gaudete, quód factus de medio appropiauit Deo, vt multo plures eius interceſsione ſaluentur: in terris viſus eſt, vt eſset exemplo; in cælum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic inuitat ad gloriam: factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi iam poſtulans nihil, totũ in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum: Quid enim quærat ſibi, qui nullius eget?

℟. Honeſtum, &c. Lectio v.

HÆc dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus, & lætemur in ea. Introiuit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior eſt ad ſaluandum. Hodie Caietanus poſito corpore tantò alacrior, quantó expeditior penetrauit in ſancta, ſimilis factus in gloria ſanctorum. Hodie deſpecto mundo, & mundi principe triumphato, ſupra mundũ victor aſcendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Aſcendit autem cum immenſa ſuppellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis glorioſus: Sed & veteranus miles, debita iam ſuauitate, & ſecuritate quietus: ſecurus quidem ſibi, ſed noſtri ſolicitus. O venerandam etiam ipſis Angelis ſanctitatem, quam pari ſtudio, & ſi diſpari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni: nec facilé dixerim, quid virum

aſtruant

aſtruant ſanctiorem, horum fauor, aut pauor illorum.

℟. Amauit, &c. Lectio iv.

O Miles emerite, qui Chriſtianæ militiæ duris laboribus angelicę felicitatis requiē commutaſti: Reſpice ad imbelles, & imbecilles commilitones tuos, qui inter hoſtiles gladios, & ſpiritales nequitias tuis laudibus occupamur; quàm pium, quàm dulce, quàm ſuaue, ò Caietane, in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari. Nomen tuum, & memoriale tuum fauus diſtillans in labijs captiuorum, mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis patrone, aduocate fidelis; exurge in adiutorium nobis; vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris

℟. Iſte homo, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. c.6.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliqua.

De Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

De Serm. Domini in monte c. 17.

QVærentibus enim primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: ideſt, hæc præponentibus ceteris rebus, vt propter hæc cetera quæramus, non debet ſubeſse ſolicitudo, ne illa deſint, quæ huic vitæ propter regnum Dei ſunt neceſsaria. Dixit enim ſuperiùs; Scit Pater veſter, quòd horum omnium indigetis. Et ideò cū dixiſset, quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: non dixit, deinde iſta quærite, quamuis ſint neceſsaria, ſed ait, hæc omnia apponentur vobis: ideſt, conſequentur, ſi illa quæratis, ſine vllo veſtro impedimento.

℟. Iſte eſt, &c.

Lectio viij.

NOlite cogitare de craſtino Non enim dicitur craſtinus dies, niſi in tempore vbi præterito ſuccedit futurum. Ergo cū aliquid boni operamur, non temporaria, ſed æterna cogitemus, tunc erit illud bonū, & perfectum opus. Craſtinus enim dies, inquit, ſolicitus erit ſibi ipſi: ideſt, vt cum oportuerit ſumas cibum, vel potum vel indumentum, cum ipſa ſcilicet neceſsitas vrgere cœperit. Aderunt enim hæc, quia nouit Pater veſter, quòd horum omnium indigeatis.

℟. Sint lumbi veſtri, &c.

Lectio ix.

Pro Vigilia Aſsumpt. Beatæ Mariæ Virginis.

Lectio Sancti Euangelij ſecundùm Lucam. c.12.d.

IN illo tempore: loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Auguſtini Epiſc.
Tract.10. in Ioannem p. initiũ.

BEata virgo Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat charitas veſtra. Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna & prodigia, & oſtendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portauit. Et ille: Immò felices, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hoc eſt dicere: Et mater mea, quam appellatis felicem, inde felix quia verbum Dei cuſtodit, non quia in illa Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ſed quia cuſtodit ipſum Verbum Dei, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt. Te Deum laudamus, &c.

In Laudib. & Miſsa Comm. Octau. S. Laurentii, Vigil. Aſſumpt. & S. Euſebij Conf.

Veſperæ de Feſto Aſſumptionis B. M. V. abſque vlla Commemoratione.

SAc. Rituum Congregatio Supraſcriptas Lectiones, vt iacent, recitandas cum Officio infra Octauam Sancti Caietani Confeſſoris Fundatoris Religionis Clericorum Regularium, de mandato eiuſdem Sac. Congregationis diligenter reuiſas per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Bonam, ſupplicante Procuratore Generali ſupradictæ Religionis, approbauit, & conceſſit vt illas Religioſi præfati recitare valeant infra dictam Octauam, ac imprimi poſſe conceſſit. Hac die 16. Iunij 1674.

F.M.Epiſc.Portueñ Card. Brancatius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secret.